



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

I. N. I.
EXERCITATIO ACADEMICA
De

PHILOSOPHIA CELTICA

Quam

Sub Præsidio,

VIRI Nobilissimi, Amplissimi, Consul-
tissimi, & Excellentissimi

DOMINI

ULRICI OBRECHTI,

Hist. P. P. Celeberrimi, Patroni ac Præceptoris
sui piâ animi veneratione æternùm colendi.

*Ex cujus collegio in Historiam Philosophicam materia
potissimum est desumpta,*

SOLENNI Eruditorum censura submittit

JOHANN. CASPARUS Ruhn / Saræponto-
Naslovicus.


Die 9. Martij h. locoq. solit.



ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR,
ANNO M DC LXXVI.

7



EXERCITATIO ACADEMICA,
De
 PHILOSOPHIA
 CELTICA.

I.



MIræ sunt, uti in rebus ipsis, ita in rerum æstimatione vicissitudines: quibus haud rarò fit, ut quæ aliquo tempore in honore fuerunt, in contemptum prolabantur, alia ex contemptu affurgant. Nè de aliis nunc dicam, quis ignorat, quam vile quondam Romanis Barbarorum nomen fuerit? idem tamen translata ad Bar-

baras nationes summâ rerum in Italiâ clarum maximè & illustre habitum est, & in ejus vicem ignominiosa atque opica, ut ait Cato, facta Romanorum appellatio. Probar id de temporibus quibus OstroGothi in Italia dominati sunt, *Hadrianus Valesius Rerum Francicarum libro VI. p. 289.* Idemque annotat ex Luitprando: *atate Ottonis Ang. Francos, Burgundiones, Suevos, Langobardos, Saxones, Lotharienses, & Bajoarios ita Romanos dedignatos fuisse, ut inimicum suum non aliter, quam Romanum, contumelia causâ, irati appellarent, & quicquid ignobilitatis, quicquid avaritiæ, quicquid libidinis, quicquid mendaciæ, quicquid deniq. vitiorum est, hoc uno nomine se complecti arbitrarentur.* Sed nec ipse literarum ac sapientiæ cultus, quo se præ aliis populis Græci & Romani olim præcipue efferebant, minus præclarum hujus rei argumen-

A

tium.

tum suppeditat: inprimis in Germania nostra: qua quondam, ut *Tacitus in Germ. II, 2.* scribit, *informis terris, aspera caelo, tristis cultu aspectuq;*, homines alebat; *literarum secreta*, ut, itidem *Tacitus Germ. XIX, 1.* indicat, penitus *ignorantes*: postea praestantium ingeniorum atque ditiplinarum foecunditate atque cultura ita effloruit, ut praecipua quoque recens repertarum vel ex situ & tenebris resuscitatarum artium scientiarumque praedicia vel instrumenta, reliquo Orbi subministraverit, quod & Exteri ultro confitentur, & Alii integris voluminibus demonstrarunt. Non inutile tamen fuerit ad vetustiora illa tempora respicere, & ex antiqua ruditate in publicam lucem producere, si qua sapientiae vestigia vel tentamina supersint. quod ego hac quidem vice breviter, ac velut per indicem facere constitui: Deum T. O. M. precatus ut propositum hocce metum sibi gloriosum, Patronis & Commilitonibus acceptum, mihi faustum atque salutare esse jubeat!

II. *Philosophiam Celticam* describunt plerique *quam apud Gallos Druida profuebantur*. Stricte id quidem nimis, ut mihi videtur: siquidem observare licet, Veteres eos quos Celtarum Sapientes nominant, interdum a Druidis distinguere, & populo etiam a Gallis diverso, Germanis nimirum adscribere. quod verbis satis disertis facit *Clemens Alexandrinus Strom. lib. I. pag. 305.* *προΐσταν τῆς φιλοσοφίας κελτικῆς τὸ ἐν προφήταις καὶ Λουθρίαις ἐν Χαλδαίοις καὶ Γαλατῶν ἐν Δρυΐδας, καὶ Σαμαναίοις Βάκτρων, καὶ Κελτῶν οἱ διανοησάντες. Praesuerunt Philosophia & Aegyptiorum Propheta, & Assyriorum Chaldaei, & Gallorum Druida, & Somanai Bactrorum, & Celtarum Philosophi.* Sed & *Diogenem Laertium* quando in *Proem.* ex *Aristotele* & *Socrone* scribitis *κελτικῆς τῆς Κελτοῖς καὶ Γαλατῆς τῆς καλεμένης Δρυΐδας καὶ Σενοθίους. Existisse apud Celtas & Gallos, qui Druida & Sennothi vocati sint*, ita explicandum esse, ut Celtarum nomen Germanos comprehendat, monuit *Gallus* eruditissimus *Egredius Menagius* in *Observat. ad Proem. Laert.* p. I. egregie id utique ad mentem Veterum: *ἐπεὶ τοῦτο πᾶν ἀρχαῖον Κελτοῖ ἑκάτερος οἱ ἐπ' ἀμφοτέρω τῷ Ῥήνῃ ἀκέρως ἀνομάζοντο* *Antiquissimis enim temporibus populi isti ad utramq;* *Rheni ripam colentes. Celtsa appellati fuerunt;*

runt. ut *Dionis lib. 39.* verba habent. Add. *Phil. Cluver. Germ. Antiq. 1, 2. § seqq.*

III. Gallorum Sapientes recensentur *Straboni lib. 4. pag. 197.* Βάρδοι τῆς ὑΰ Ουάτης, ὑΰ Δρυ δαι. *Bardi, Vates, Druida*: atque hinc existimant quidam emendandum esse *Ammianum Marcellinum lib. 15.* qui Bardis & Druidibus loco Vatum, *Eubages* adjungit. Si quid tamen in his nominibus mutandum sit, ego malim apud *Strabonem* pro Romano Barbarum, quàm apud *Ammianum* pro Barbaro Romanum vocabulum substituere. Nam quod *Plinius Hist. Nat. lib. 16. c. 44.* putat ipsos quoque Druidas à Græcâ voce δρυῖς esse appellatos, ei conjecturæ optimâ ratione opponit *Cassiodorus ad Laërt. Proem.* prudentissimum *Strabonis* consilium, negantis in appellationibus Gentium Barbararum Græcas Etymologias esse quærendas. Add. *Ger. 70. Voss. de Sect. Philos. cap. 3. §. 6.* Neque *Σεμνοβίος* proprio nomine vocatos Celtarum Philosophos, sed *Aristotelem & Sotionem* unde *Laërtius in Proem. Stephanus de urbibus & Suidas* descripserunt, existimo Barbaram appellationem Græco isthoc vocabulo interpretatos: quomodo *Dion in Persici* Zoroastrem Ἀσπιδεάτην nominavit. Et fortasse ipsum Druidarum nomen *Σεμνοβίος* significabat. Sanè linguâ Francicâ seculo adhuc nono post Christum natum Deus vocabatur *Druthin*: quod apud *Otfridum in dedicatione Evangeliorum*, & in *Evangelis* ipsis sæpius occurrit. ut in illis:

Druthin hohe' mo tha; guat:
Deus augeat illi bonum:
Druthin halff imo sar:
Deus auxiliabatur illi quidem:
Druthin deta sofo Zain /
Thin worolt minnota er so frain.
Deus ita mundum dilexit &c.

Nisi fortè apud Germanos illi, qui Divino cultui præerant, aliâ appellatione designabantur: nam *Casar de Bell. Gall. lib. 6. cap. 21.* Germanos non habuisse Druides, qui rebus divinis præfuerint, asserit. Et sacerdotes tamen ipsis non defuisse, ex *Taciti Germa-*

nia & aliunde passim exploratissimum est. Vid. *Georg. Horni. Histor. Philos. l. 2. c. 11. & 12.*

IV. *Primaria Celticae Philosophiae pars fuit scientia rerum divinarum*: profitebantur enim Gallorum juxta & Germanorum Sapientes, se intelligere Deorum *naturam, voluntatem, & cultum*. Ad doctrinam de *natura* Deorum pertinet, quod *Casar Bell. Gall. lib. 6. cap. 14.* de Druidibus scribit, eos *disputare de Deorum immortalium vi ac potestate*. Sed & *Diodorus Siculus lib. 5. cap. 31.* vocat illos Θεολόγους ἢ τῆς θείας φύσεως ἐμπείρους. *Theologos & Divina natura confcios*: Ad quos & *Lucanus Pharsal. lib. 1. vers. 452.* direxit illa:

Solis nosse Deos & cæli Numina vobis,

Aut solis nescire datum.

Atque in primis Germanos testatur *Tacitus, Germ. cap. 9. num. 3.* *magnitudinem caelestium* præclare perpendisse, *Deorumq; nominibus appellasse secretum illud, quod solâ reverentiâ videbant*. Et ut singula paucis perstringam, habuerunt Celtæ perinde ut reliquæ Gentes *Theologiam Naturalem, Fabularem, & Historicam*. Ad *Theologia naturalis* rationem refero illud *Casaris Bell. Gall. lib. 6. cap. 21.* de Germanis: *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur, Solem, & Vulcanum, & Lunam.* quibus ex *Taciti Germ. cap. 40. n. 3.* addi debet *Herthus*, id est *Terra Mater*, quam in commune plures Germaniæ nationes colebant. Atque in illis quidem sicut cum *Ægyptiis* conveniebant Germani: ita cum *Magis Persarum*, ea quæ hominibus evenirent, partim à *DEO* bono, partim à *Deo malo* proficisci statuerunt. De *Magis* author est *Aristoteles lib. 1. de Philosophia*, & exinde *Laertius in Proem.* ubi *Hermippum* quoque & *Eudoxum* & *Theopompum* testes citat: δύο κατ' αὐτῆς εἶναι ἀρχάς, ἀγαθὸν δαίμονα ἢ κακὸν δαίμονα. ἢ τὸ μὲν ὄνομα εἶναι Ζεὺς ἢ Ὀρομάσδης. τὸ δὲ Ἄδης ἢ Ἀρειμάνιθ. *Ex eorum sententia duo esse principia, bonum malumq; Latere: quorum alter Juppiter & Ormazdes, alter Orcus & Arimanius appelletur.* De *Slavis* autem annotat *Helmoldus in Chron. Slav. l. 1. c. 52. n. 2.* *Est Slavorum mirabilis error: nam in convivio & comotationibus suis, pateram circumferunt, in quam conferunt, non dicam consecrationis, sed ex-*
statio-

rationis verba, sub nomine Deorum, boni scilicet atq; mali: omnem prosperam fortunam à bono Deo, adversam à malo dirigi proficentes, ideo etiam malum Deum suâ linguâ Diabol sive Zeerneboch, id est nigrum Deum appellant. Add. Albert. Cranz. Vandal. lib. 3. cap. 37.

V. De Gallorum fabulari Theologia insigne est testimonium Cæsaris Bell. Gall. lib. 6. c. 17. Deum maxime Mercurium colunt. hujus sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atq; itinerum ducem: hunc ad questus pecunia, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. post hunc Apollinem, & Martem, & Jovem, & Minervam. de his eandem ferè, quam reliquæ gentes habent opinionem; Apollinem morbos depellere; Minervam operum atque artificiorum initia transdere; Jovem imperium cœlestium tenere; Martem bella regere: De Germanis Tacitus Germ. cap. 9. n. 1. Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoq; hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessu animalibus placant: pars Suevorum & Isidi sacrificat. His Castorem insuper ac Pollucem addit idem Tacitus Germ. cap. 43. quos à Celtis Oceani accolis maxime cultos etiam Diodorus Siculus testatur. Sed & Dianam apud Treviros pro numine habitam refert Gregor. Turonens. lib. 8. cap. 15. Possentque huc referri ingens vanissimorum Idolorum farrago. de quibus videatur Elia Schedy de Diis Germanis Syngamma 1. cap. 4. & seqq. & Syngam. 4. cap. 1. & seqq. Cluver. Germ. Antiq. lib. 1. cap. 25. & seqq. Henr. Bangert. ad Helmold. Slav. lib. 1. cap. 52.

VI. Historica Theologia Celtarum consistebat in cultu Heroum: quos divinis honoribus venerabantur. Tales Tuisto & filius Mannus; quos Gentis suæ originem conditoresque Germani sunt arbitrati; itemque Hercules & Ulysses ap. Tacit. Germ. cap. 2. n. 3. & cap. 3. n. 1. & 3. alique quos recenset Schedius de Diis Germ. Syngam. 3. quibus addi merentur, quæ de Othino aliisque Septentrionalibus Diis, ex rarioribus monumentis exhibet Stephanus Joannis Stephanus ad Saxon. Gramm. Histor. Dan. lib. 6. p. 103. v. 16. nec minus fortè in hunc censum referendus Kruzmana, quem Treboci nostri sub habitu Herculis coluisse feruntur. Effigiem ejus ab insigni Architecto Daniele Specklino delineatam exhibet Schadeu in descript. Summ. Templ. Argent. cap. 2. Caterum

Celtas Herculem vernaculo sermone vocasse *Ὀρμυον* testis est *Lucianus in Hercule Gallico*. Atque hinc quidem & *Plato* Barbaris Gentibus sapientiae laudem asseruit, quod Heroas tuos & Legumlatores divinis honoribus afficerent, sicut ex ejus *symposio* probat *Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. p. 303*. Quanquam nec sit diffidendum, infandam illam Gentilium Deastrorum multitudinem ex hoc potissimum fonte promanasse: quod à veteribus Ecclesiae Christianae Doctoribus *Augustino de Civit. Dei. lib. 7. c. 18. & lib. 8. c. 26. Lactantio Divin. Instit. l. 1. c. 15.* aliisque passim ostensum est.

VII. Ad hæc voluntatis quoque Divinae notitiam jactabant Celtarum Sapientes. De Druidis testatur *Pomponius Mela de situ Orb. l. 3. c. 1. quid Nij velint, scire profuerunt*. De Germanorum Sacerdotibus *Tacitus Germ. cap. 7. num. 2. Neq; animadvertere, neq; vincere, neq; verberare quidem, nisi Sacerdotibus permittitur: non quasi in poenam, nec duci jussu, sed velut Deo imperante*. Et *cap. 40. num. 4. de Sacerdote Terræ Matris: Est in Insula Oceani Castum nemus, dicatumq; in eo vehiculum veste contectum, attingere uni Sacerdoti concessum. Is adesse penetrati Deam intelligit*. In universum autem hac aliisque Theologiae Gentilis partibus Celtas præ Græcis quibusdam Philosophis extollit *Ælianus Var. Hist. l. 2. c. 31. quod staterint: Καὶ ὄναι θεῶν, καὶ προνοῖν ἡμῶν, καὶ προσημαίνον τὰ μίλλοντα καὶ διὰ ἔργων, καὶ διὰ συμβόλων, καὶ διὰ σπλάγγων, καὶ δι' ἄλλων τινῶν μαθημάτων τε καὶ διδασμάτων. Et esse Deos, Et nostri curam gerere, Et præsignificare futura per aves, omina, exta, aliaq; observationes quasdam Et doctrinas*. Unde multiplex divinandi ratio atque scientia apud Celtas, etiam *Ciceroni de divinat. l. 1. c. 41. Diador. Sicil. l. 5. c. 31. Tac. Germ. c. 10. n. 1 & seqq. Iustino lib. 24. c. 4. n. 3. laudata atque descripta. Quâ mulieres potissimum excellere; quibus ut Tacit. Germ. c. 8. n. 3 loquitur, inesse sanctum quid Et providum putabant: quod exempla apud Casarem Bell. Gall. l. 1, c. 50. Plutarcb. in vitâ Casarii. Clement. Alexandrin. Strom. l. 1. pag. 305. Lamprid. in Alexand. Sever. c. 60. Vopiscum in Aureliano c. 44. & in Numeriano. c. 14. satis declarant. Atque sortium quidem consuetudo tam altas in animis horum populorum radices egerat, ut ne per ipsam quidem Christianam religionem, quanquam ab*

his

his magno fervore cultam, vestigia ejus dudum evelli penitus quiverint. Sicut inter alia multa *Legis Frisionum Tit. 14.* cum *Taciti Germ. c. 10.* collatus abundè demonstrabit.

VIII. De cultu Deorum notat generaliter *Laërt. in Proem.* Druidas philosophatos esse: *σιβειν Θεῶν. Deos esse colendos.* Ex *Diodoro Siculo* autem *lib. 5.* discimus, nemini apud Celtas fas fuisse *θεῶν πικρῶν ἀντι φιλοσόφου. absq̃ Philosopho sacra facere: quod non per alios quàm divina natura conscios & ad colloquia Deorum admisso;* *Diu vel gratias, vel bonis preces offerendas arbitrarentur.* Cæterùm Germanorum plerorumque satis cordata de divino cultu sententia fuit: siquidem, ut *Tacit. Germ. cap. 9 n. 3.* indicat, *nes cobibere parietibus Deos, neq̃ in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine caelestium arbitrabantur.* quâ ratione quàm propè ad primævam & genuinam veri cultus institutionem accesserint, admonere superfluum fuerit: & de Judæis testatur ipse *Tacitus Hist. l. 5. c. 5. n. 8.* *Judæi mente sola unumq̃ numen intelligunt. Profanos, qui Deum imagines, mortalibus maceris, in speciem hominum effingunt: Summum illud & aeternum, neq̃ mutabile, neq̃ interiturum.* Unde non multum discrepat, quod de Magis Persarum apud *Laërtium in Proem.* annotatur: *τὸς Μάγος θεὶ τὰ θεράπειας Θεῶν διατρέψον, καὶ θεῶν καὶ ἐυχᾶς, ὡς αὐτοὶ μὲν οὐ ἀπομαίνοντες. ἀποφαίνονται τὰ θεὶ τὰ ἔτιας Θεῶν καὶ γενέσεως. τῶν δὲ ζῴων καταγινώσκον καὶ μάλιστα τῶν λεγόντων ἄβρνας εἶναι Θεῶν καὶ θηλείας. Magosim Deorum cultu, sacrificiis & precibus versari, tanquam qui ab eis soli exaudiantur; atq̃ etiam de Deorum natura & ortu differere; Statuas verò reprobare, & maxime illorum opinionem, qui Deos mares ac feminas esse ajunt.* Quin & Romani ex *Numæ* atque ut *Plutarchus in vit. Num.* existimat, *Pythagoræ* instituto, primis centum & septuaginta annis, nullam vel pictam vel fictam Dei imaginem habuerunt. *ὡς ἔτι ὅστιος ἀφομοίωσεν τὰ βελτίονα τοῖς χειροσιν ἔτι ἐφάρτεται Θεῶν δυνατὸν ἄλλως ἢ νοήσει, nefas putantes augustiora exprimere humilioribus: neque adspirari aliter ad Deum, quàm mente posse.*

IX. De Lucorum consecratione & cæteris sacrorum ritibus egit abunde *Cluverius Germ. Antiq. l. 1. cap. 34. Sebed. de Diis Germ. Syngt. 2. c. 23. usque ad 34.* ubi & de *Αἰθερωποθειῶν* Celtarum pluribus tractatur. Itaque hîc suffecerit paucis attigisse, quale factum

fatum Romæ sacra Celtica experta sint. videntur enim in eo non satis consentire Veteres. Nam Plinius quidem *Hist. Nat. l. 30. c. 1.* ita commemorat : *D CLVII. demum anno Urbis Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Coss. Senatusconsultum factum est, ne homo immolaretur : palamque in tempus illud sacra prodigiosa celebrata. Gallias utique possedit, & quidem ad nostram memoriam. Namque Tiberij Caesaris Principatus sustulit Druidas eorum, & hoc genus vacuum medicorumque.* At Suetonius in *Claud. c. 25.* demum Claudio abrogationem horum sacrorum attribuit : *Druidarum, inquit, religionem apud Gallos dira immanitatis, & tantum civibus sub Augusto interdiciam penitus abolevit.* A Suetonio verò maximè discordat Seneca in *Apocolocyntosis* : *Cogitate P. C. quale portentum in numerum Deorum se recipi cupiat. Principes pietate & iustitia Dii sunt. Scilicet hic (Claudius) pius & iustus, quoniam Druidarum immanem religionem advenxit, nostram prorsus extirpavit.* Et Plinium quidem cum Suetonio ita conciliat Lipsius ad *Tac. Annal. lib. 12. p. 336.* ut dicat, *Tiberium in urbe tantum sustulisse, Claudium in Gallia ipsa.* Sed fortasse dicendum potius fuerit, sacra quidem illa Celtarum immania pridem abolita, manentibus tamen illorum vestigiis, qualia *Mela de situ Orb. l. 3. c. 1.* describit, subinde repullulasse, ut novis constitutionibus opus foret, non sub Claudio duntaxat, sed post illum quoque sub aliis Principibus : siquidem ad *Tersulliani ævum* usque Barbarum morem durasse, ex *Apologetico* ejus constat. Seneca autem Druidum sacra non verè in urbem reducta à Claudio, sed specimen crudelitatis non absimile, interfectis inter sacra nuptialia triginta Senatoribus, exhibitum perstrinxit. Sequitur enim apud eundem : *ut Roma nuptiarum sacra essent : quibus ipse cum sibi Agrippina nuberet, XXX Senatoribus, innumeris equitibus Romano mactariis, principium dedit : Druidas verò ipsos non esse penitus sublato, rectè videntur censuisse Petrus Pichæus Adversar. subsec. l. 1. c. 3. Levin. Torrent. ad Sueton. Claud. c. 25. Joan. Bramius ad Cæs. Bell. Gall. l. 6. c. 13.*

X. De reliquâ Celtarum Philosophia in summam hæc annotat *Ammian. Marcellin. l. 15. p. 56.* *Per Galliam hominibus paucissimis excultis vigere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, & Eubages & Druidas. Et Bardi quid em fortis virorum illustri-*

um facta heroicis composita versibus, cum dulcibus Lyra modulis can-
 titarunt: Eubages vero scrutantes summa & sublimia nature pande-
 re conabantur. Inter hos Druida ingenii celsiores, ut auctoritas Py-
 thagoræ decrevit, sodalitiis adstricti consortiis, questionibus occulta-
 rum rerum altarumq; erecti sunt, & despectantes humana, animas
 pronuntiarunt immortales. Et quanquam Plinius Hist. Nat. l. 18.
 c. 25. scribat: Neminem in Galliis observasse, qui siderum proderet
 exortus: Author tamen est J. Caesar Bell. Gall. l. 6. c. 14. Druidas
 multa de sideribus atq; eorum motu, de mundi ac terrarum magnitu-
 dine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate di-
 sputasse, & inventuti transdidisse. Neque Mela l. 3. c. 1. multò
 aliter: Habent Galli & sacundiam suam, magistròsq; sapientia Dru-
 idas. Hi terra mundi, magnitudinem & formam, motus cæli ac
 siderum, ac quid Dii velint, scire profitentur. Atque inter cætera
 quidem illorum dogmata de natura rerum, de quibus videndus
 etiam Otto Heurnius de Philosoph. Barbar. l. 2. c. 33. refert Strabo
 l. 4. p. 197. quod mundum statuerint ἀφθαρτον corruptionis ex-
 pertem: ἐπιφαιάντων δὲ τότε καὶ τῆς καὶ ὕδατος. ignem tamen aliquan-
 do & aquam superatura. quo quidem apparet, inter infinitas
 Veterum Philosophorum sententias de mundi aternitate, ad
 Celtarum nostrorum sententiam Stoicos quam proximè acced-
 sisse, qui interprete Cicerone de Natur. Deor. l. 2. eventurum puta-
 bant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret; cum humore con-
 sumpto, neq; terra ali possit, neq; remcare aër: cuius ortus aqua omni
 exhausta, esse non possit. ita relinqui nihil præter ignem: quo rur-
 sum animante, renovatio mundi fieret, atq; idem ornatus oriretur.
 Add. Augustin. de Civit. Dei lib. 12. c. 11.

XI. Inprimis verò Druidas hoc voluisse persuadere, docet
 Caesar Bell. Gall. lib. 6. cap. 14. non interire animas, sed ab aliis post
 mortem transire ad alios. idque Strabo etiam lib. 4. p. 197. confir-
 mat. Sed & Mela de situ Orb. l. 3. c. 1. Unum ex iis quæ præcipi-
 unt Druides, in vulgus effluxisse, scribit, videlicet ut forent ad bella
 meliores, eternas esse animas, vitamq; alteram ad manes, Quod &
 Diodorum Siculum impulit ut l. 5. asseveraret, ἐπιζῶντες παρ' αὐτοῖς
 ὁ Πυθαγόρας λόγῳ ὅτι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἀθανάτους εἶναι συμ-
 βεβηκας, καὶ δὲ ἐτῶν ὀρισμένων πάλιν βίῃν, εἰς ἕτερον σῶμα τῆς ψυ-
 χῆς

B

χῆς ἐπισδομῆναι. *Invaluit apud eos Pythagoræ opinio, quod animæ hominum immortales, in aliud ingressa corpus, definito tempore de novo vitam capebant.* Verum si quis rectè attendat, inter παλιγγενεσίαν istam Celtarum & Pythagoræ μεταμύχουσι hoc interesse deprehendet; quod Celtæ hominum animas non ad pecudum sed ad humana corpora & quidem in alio Orbe, apud Manes, ut *Mela* loquitur, transire statuerunt. Unde *Lucanus Pharsal. l. 1. v. 454.* ad Druidas:

-- -- -- *Vobis auctoribus, umbra
Non tacitas Erebi sedes Ditisque profundi
Pallida regna petunt: regit idem Spiritus artus
Orbe alio: longæ (canitis scognita) vitæ
Mors media est.*

Atque hinc nata fiducia dandi pecunias mutuas, quæ apud inferos redderentur; & consuetudo conjiciendi epistolas propinquis inscriptas in rogum defunctorum, ut à mortuis legerentur; cremandique cum eis ac defodiendi, apta viventibus: *Diodoro Siculo, Pomponio Mela*, aliisque notata. Ut adeo hac in re non idem braccati senserint, quod palliatius Pythagoras credidit. quamquam id præter *Diodorum & Ammianum*, etiam *Valerius Maximus l. 2. c. 6. n. 10.* asserat: Atque huc referendum quoque quod *Appiano in Celticis* Marcomanni dicuntur καταφρονταὶ θανάτου, δι' ἐλπίδα ἀναβιώσεως contemptores mortis ob spem resurrectionis. Qualiscunque autem sit hæc in re inter Celticam & Pythagoricam Philosophiam convenientia; illa non aliunde profuxit, quam quod inter alios Barbararum gentium sapientes, Celtarum quoque Philosophos præceptores habuit Pythagoras: ut in libro peculiari de Symbolis Pythagoricis testatur *Alexander* apud *Clement. Alexandr. Strom. l. 1. p. 304.*

XII. Præter hanc Philosophiam etiam de moribus disputarunt Celtæ: *Strabo* disertè lib. 4. p. 197. πρὸς τῆ φυσιολογίᾳ καὶ τῶ ἠθικῶν φιλοσοφίᾳ ἀσχῶσι. *Ultra Physiologiam etiam Philosophiam moralem tractant.* Summam breviter complectitur *Diongenes Laërt.* in *Proæm.* dum illos docuisse scribit σέβειν θεούς, καὶ μηδὲν κακὸν δεῖν, καὶ ἀνδρείαν ἀσχεῖν. *Deos esse colendos, nihil mali facien-*

faciendum, fortitudinem exercendam. Atque ad fortitudinem eos maximè spe immortalitatis incitatos notat *Cæsar Bell. Gall. l. 6. c. 14. Val. Max. l. 2. c. 6. n. 11.* itemque *Lucanus Pharsal. l. 1. v. 458.* in illis:

.. -- *Certè populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus, haud urget lethi metus. inde ruendi
Inferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis: & ignavum reditura parcere vita.*

XIII. Neque bellica tantum virtute, sed & contrà alijs fortunæ casus, verâ animi magnitudine præcallebant Celtæ nostri. tristesque eventus, neque ut plerique fortium virorum ambitiosè, neque per lamenta rursus ac mœrorem muliebriter ferebant. *Lamenta*, ut ait *Tacit. Germ. c. 27. n. 4.* ac *lachrymas citò; dolorem & tristitiam tardè ponebant.* *Feminis apud eos lugere honestum erat; viris meminisse.*

XIV. Cæteras Celtarum virtutes ex *Tacito* potissimum & *Cæsare*, enumerat *Cluver. Germ. Antiq. l. 1. c. 19.* quas huc referre nihil attinet, utpote moribus potissimum apud illos & naturæ incorruptioris ductu, quàm disciplina & studiis excultas. Insuperquas justitiam maximè extollunt *Cæsar, Diodorus, Strabo.* & visum est sanè hactenus idoneum, quod contrà ipsas quoque Christianas gentes laudaretur *Chaucorum* exemplum. de quibus *Tacit. Germ. c. 35.* *Populus inter Germanos nobilissimus, quiq; magnitudinem suam mali justitiâ tueri: sine cupiditate, sine impotentia, quieti, secretiq; nulla provocant bella, nullis raptibus aut atrociniis populantur. Idq; præcipuum virtutis ac virium argumentum est, quod ut superiores agant, non per injurias assequuntur.* *Conf. H. Grof. de J. Bell. & Pac. l. 2. c. 22. n. 5. Lips. Polit. lib. 5. c. 3. & lib. 5. c. 5. n. 33.*

XV. Reliquum est, ut de modo & ratione docendi philosophandiq; qualis Celtis veteribus in usu fuit, aliquid admoneamus. Et *Druidas* quidem *sodalitiis adstrictos consortiis* fuisse, ex *Ammiani* testimonio superius citato patuit. Insuper autem testatur *Mela l. 3. c. 2.* illos docuisse multa nobilissimos *Gentis clam &*

die vicenis annis in specu, aut in abditis saltibus. Causam, quæ nobilissimos gentis in hanc disciplinam attrahebat, indicat *Cæsar*, & simul totam hanc rem illustrat eximie; *de Bell. Gall. l. 6. c. 14.* scribens: *Druides à bello abesse consueverunt, neq; tributa unà cum reliquis pendunt, militia vacationem, omniumq; rerum habent immunitatem. Tantis excitati premiis, & suâ sponte multi in disciplinam conveniunt, & à propinquis parentibusq; mittuntur. magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. itaq; nonnulli annos vicenos in disciplinâ permanent.*

XVI. Germanis carmina potissimum ad celebrandos Heroas suos in usu fuerunt: tum ut ad prælia animos accenderent: quod utrumque *Tacit. Germ. c. 2. n. 3. & c. 3. n. 1.* testatur: qui & *Annal. l. 2. c. 88. n. 5.* de Arminio scribit: *Septem & triginta annos vita, duodecim potentia explevit: caniturq; adhuc Barbaras apud Gentes. Diodorus Siculus & Ammianus Marcellinus Bardis assignant hoc munus; ut & Lucanus lib. 1. Pharsal. v. 447. hifce versibus:*

*Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas
Laudibus in longum Vates dimittitis evum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.*

Unde *relatum* talium carminum *Barditum* à Germanis vocatum, ex *Tacit. Germ. cap. 3. n. 1.* existimari queat. Add. *Out. Heurn. de Philos. Barbar. l. 2. c. 33.*

XVII. Cæterum quanquam Druidæ callerent literas, iis tamen sapientiæ suæ decreta mandare nefas esse existimabant. *Id mihi, inquit, Cæsar Bell. Gall. l. 6. c. 14. duabus causis instituisse videntur: quod neq; in vulgus disciplinam efferrî velint: neq; eos, qui discunt, literis confisos, minus memoria studere. quod serè pleriq; accidit, ut præsidio literarum diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant.* Ad posteriorem hanc rationem pertinet, quod *Quintil. Institut. Orat. lib. 11. c. 2. invenisse se ait apud Platonem, obstrare memoria usum literarum. videlicet quod illa qua scriptis reposuimus, velut custodire desinimus, & ipsâ securitate dimittimus.* Invenit autem hoc *Quintilianus* vel in *Timæo Platonis* vel in *Phædro:* ubi *Thamus* ad *Theurum*, qui se literarum inventorem prædicaverat: *ὦν, inquit, σὺ πατὴρ ὧν γραμμάτων, δι' εὐνοίαν τ' ἔβαν-*

τις,

τιον εἶπες ἢ δύναται. ὅτε γὰρ τῶν μαθόντων λίθην μὲν ἐν ψυχῆς
 παρέξιμι μνήμης ἀμελετήσι, ἀτε διὰ πίσει γραφῆς ἔξωθεν ὑπ' ἀλ-
 λοτριῶν τύπον, ἐκ ἐνδοθεν αὐτὸς ὑφ' αὐτῶν ἀναμνησκομένους.
*Nunc tres litterarum Pater, propter affectum aliud prorsus de illis, quam
 efficere valent, affirmasti. Nam illarum usus, propter negligentiam
 recordationis, oblivionē in animis discipulorum pariet. quippe qui exter-
 nis litterarum monumentis confisi, res ipsas intus animo non revolvunt.*

XVIII. Priori rationi interviret etiam obscura illa & æni-
 gmatica docendi consuetudo, quam Celtarum Philosophis tri-
 buit *Diogenes Laërt.* in *Proem.* quando eos dicit philosophatos
 εἶναι ἀνιγματῶδες ἀποθεγγόμενοις. *anigmaticè & per concisas senten-
 tias.* in universum autem *Diodoro Siculo lib. 5.* dicuntur Celtæ καὶ
 τὰς ἐπιλάσι βραχυλογοῖσι καὶ ἀνιγματῶδες, καὶ τὰ πολλὰ ἀνιτιθέμενοι
 συνεχδεχτικῶς. *in colloquiis verborum parci & obscuri, per involucria
 Synecdochicè pleraq; enuntiantes.* Atque hunc quidem modum
 philosophandi tum Græcos omnes communiter, tum verò in-
 primis Lacedæmonios & Cretenσes diligentissimè fuisse conse-
 ἔτατος, scribit *Plato Clemens* verò *Alexandrinus* quanquam Æ-
 gyptiis potissimum adscribat Symbolicam docendi rationem,
 quos & Sphingem hinc in templis suis dedicasse discimus ex *Strabo-
 ne lib. 17. p. 805.* & *Plutarch. de Isid. & Osir.* attamen omnes
 qui de rebus divinis tractarunt tam Barbaros quam Græcos of-
 fendit *lib. 5. Strom. p. 556.* veritatem occultasse ἀνιγμασιν, καὶ συμ-
 βόλοις, ἀλληγορίαις τε αὐτῶν καὶ μεταφοραῖς. quin & *lib. 2. Strom. pag.
 358.* asseruerat Græcos aliunde mutuatos esse τὸ ὀπτικρυμμένον
 τῆς βαρβάρου φιλοσοφίας τὸ συμβολικόν ὅτε καὶ ἀνιγματῶδες εἶδος.
 ab Hebraeis scilicet: unde *lib. 1. Strom. p. 301.* illi dicitur τρεῖς
 τῆς φιλοσοφίας ἑβραϊκῶς καὶ ἀνιγματῶδες. Ubi laudat etiam exi-
 miè ταύτην τὴν βραχυλογίαν ὀφθαλμικὴν τὴν ἀφελιμοτάτην,
 & selectioribus exemplis illustrat.

COROLLARIA.

I. Inter effata Epicuri de Sapiente refert *Petrus Gassendus
 Philos. Epicur. part. 3. pag. 1229. & seqq. Solum Sapientem recte de
 Musica Poëticaq; verba facturum.* Eundem tamen *Poëmata sive
 fragmenta Poëtarum ignoraturum, necdum aliqua elaboraturum.* Mi-
 hi perinde id videretur esse, ac si dixisset, cæcum optime de colori-
 bus esse iudicaturum.

II. In

II. In disputatione inter *Danielem Heinsium*, *Balsacum*, & *Salmasium*, de *Herode Infanticida*, à *Balsaco* quidem existimo acuto iudicio Græcorum Furias in Tragedia Judaica reprehensas: ab *Heinsio* tamen validiori ratione defensas: Neque à *Salmasio*, quantumvis erudita & subtili disquisitione satis efficaciter exploras.

F I N I S.

